





1706.

1. Fichtius, Ioh.: *De glorio summe lucente Adams corporis.*
2. Muellerus, *Corpus Matheraeum*: *De foro legati contra heatis.*
3. Sennius, Joh. Christ.: *De peregrinatione docta vite instituenda.*

1707

1. Engelken, Hieron. Ascarius: *De numero confessionis et oblationis vix missali Rec. 1716.*
2. Koepkensius, Jacobus Hieron.: *Memoria Curadi Tortii*  
*= Matherae, Corporis Matheraeum*: *De matricomico nobilis cum iugabili.* 2 Sept. 1707: 1786.
4. Schaeppfens, Ioh. Fractius: *De procladicis fortis*
5. Schaeppfens, Ioh. Fractius: *De falsa ratione decimando*
6. Lobrand, Fractus Hieron.: *De pactis salatisibus*

1708.

1. Mueller, Casp. Matthi: *Programma, quo ad solennia Doctoralia Eozaldi Fractrii ab Eichmann iuristat*
2. Mueller, Casp. Matthi: *Programma, quo ad solennia Doctoralia Eozaldi Fractrii ab Eichmann iuristat*
3. Mueller, Casp. Matthaeus, per ipsos predictos: *Programma, quo ad solennia Doctoralia Joh. Christiani Petersen iuristat*
4. Muellerus, Caspianus Matthaeus: *De festinacione judicis iuris*
5. Muellerus, Caspianus Matthaeus: *De jure mercii delatione contra matrimoniium*
6. Muellerus, Caspianus Matthaeus: *De jure mercii delatione in causa fiscalis pecuniarum*

1709.

1. Schneppfer, Joh. Frach: *Programma, quo ad solennia Doctoralia Timori Thomei Gutauer iuristat*

1709.

2. Schneppffer, Joh. Frackius, per ~~pro~~-prosecutus:

Programma, quo et solemnis doctricis Martinii Alberti  
W. Hebrandt iuristat.

3<sup>rd</sup> Schneppffer, Joh. Frackius: De culpa lata misericordia  
statas. 2 Sept. 1709 ± 1721.

4. Schneppffer, Johannes Frackius: Argumentatio concretio  
huius 5. Schneppffer, Joh. Frackius: De matricacio pro  
subsitutum contractu.

6. Schneppffer, Joh. Frackius: De culpa lata laboris  
ab hereditibus praesumenda.

7. Schneppffer, Joh. Frackius: De matricacio per  
subsitutum contracto.

8. Schneppffer, Joh. Frackius: De jure civili ius  
naturae determinante circa personas.

9<sup>th</sup> Schneppffer, Joh. Frackius: De virtutis honoris.  
2 Sept. 1709 ± 1721.

1709.

10. Stein, Mathias : De alienatione immobiliis  
fundi imperio.

D'ats







58

CASPARI MATTHAEI MÜLLERI,  
SERENISSIMI DVCIS MECKLENBURGICI REG. CONSIL. CANCELLARIAE,  
PROFESSORIS PVBL. ORDINARII, FACULTATIS IVRIDICAE  
P. T. PRO - DECANI,

7

DISSERTATIO IVRIDICA  
DE

# MATRIMONIO NOBILIS CVM IGNobilI,

von

Heyrathen zwischen Adelichen  
und Un-Adelichen Personen.

Q V A M

IN ALMA AD VARNVM ACADEMIA

D. VII. DECEMBR. AN. MDCCVII.

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI

S V B J I C I T

JOCHIM CHRISTOFFER DE MOLTKE,  
EQVES MEGAPOL.



---

ROSTOCHII, REC. MDCC XXXXVI.

58

CASPARI MATHAEI MELLERI  
BIBLIOTHECA LIBRARIÆ ET LIBRARIÆ  
MUSICO-MEDICO-PHYSICO-CHIRURGICO-  
ET BOTANICO-  
DISSECTORII LIBRARIÆ

MATRIMONIO  
MORISCI MELLEI

ALLEGORIAE IN SEQUITRIO  
ALLEGORIAE IN SEQUITRIO

ALLEGORIAE IN SEQUITRIO

ALLEGORIAE IN SEQUITRIO

ALLEGORIAE IN SEQUITRIO



## PROOEMIVM.

**D**VM abitum ex hac Academia paro, noluē  
legibus eiusdem adversari, et sine speci-  
mine discedere, dum vero materiam dis-  
putationis meditabar, ea occurrebat varia, placuit  
præsens de matrimonio Nobilis cum ignobili, ubi que-  
stio præliminaris præmittenda, an mihi non habita  
ratione ætatis tractare licet materiam matrimonia-  
lem? Ubi quidem objici poterat ab hac ætate plane  
alienam esse hanc materiam, ut ut enim Romani mas-  
culis puberibus facultatem matrimonium contrahen-  
di concesserint, pr. I. de Nupt. melius tamen videtur,  
si causa matrimonialis in id differatur tempus, quo  
pater probabiliter consensurus, quod in tali ætate cœ-  
teris paribus, & nisi circumstantiae id svadeant, non  
facturus præsumitur: sed paucis rem includam, sc.  
distinguendum, an causa matrimonialis tractetur  
theoretice, an prætice, illud cujuscunque ætatis ho-  
mini permittitur, nam & dupondio in Collegio Insti-  
tutionum inculcatur causa matrimonialis, quam pro-  
inde B. C. D. aggrediar, pro temporis ratione mate-  
riam propositam examinaturus, & quidem ita, ut  
primo capite agatur de quæstione: an matrimonium  
nobilis cum ignobili valeat; secundo: de effectu.

A 2

CAPVT

■ ) o ( ■  
CAP V T I.

TRACTAT

Q VÆSTIONEM:  
AN MATRIMONIVM INTER NOBILEM  
ET IGNOBILEM VALEAT?

§. I.

Præmitti quidem hic debuisset, quid sit matrimonium? quid sit nobilis, aut ignobilis? ne contra monitum JCti in L.I. ff. de Origin. Jur. illotis manibus ad rem ipsam accedere videremur, sed cum definitio matrimonii ex §. I. f. de patr. potest. Ubi definitur, quod sit viri & mulieris conjunctio individuam vitæ consuetudinem continens, jam satis nota, eaque a Commentatoribus sufficienter explicata sit, noluimus actum agere, & quod ab illis dictum est, de charta, in papyrus transcribere, sed potius temporis & chartæ, utut alias perituræ, nisi sic periret, parcere, multo minus autem in derivationem nominum, aut synonymiam inquirere placuit, sed talia scire avidum ad Lexicographos remittimus; Definitionem Nobilis proposuit Dn. DE LAVZOW in Dissert. sub Præsidio Præsidis habita, cuius inscriptio est de Virgine Nobili Mecklenburgica C. I. n. 27. ubi nobilem definit, quod sit persona singulari dignitate eminens, a parentibus nobilibus

libus in liberos transfusa, vel a Principe ipso ob  
virtutem, scientiam, aut res præclare gestas  
concessa, & in seqq. etiam Etymologiam hu-  
jus vocis tradit, unde simul apparet, quis sit  
ignobilis, sc. qui tali singulari dignitate non  
eminet.

§. II. His ita præmissis ad quæstionem  
hujus capit is propositam progredimur, an va-  
leat matrimonium nobilis cum ignobili? pro  
negativa militare videtur quod talia matri-  
monia sœpe fiant luctuosa, & infelices sortian-  
tur eventus, dum litibus & discordiis non tan-  
tum inter conjuges præbent occasionem, sed  
& sœpe ab agnatis, qui ignobilem agnato suo  
junctam contemtui habent, aliqua inferuntur  
mala, dann welche nicht von beyden Seiten Fürsten-  
mæßig (idem aliquo modo de nobilibus) geboh-  
ren, die müssen andern Fürstlichen (Adelichen) Per-  
sonen die Stüble nachtragen, ihnen aufwarten und  
zu Gebote stehen, uti loquitur MYLER. ab Ehren-  
bach de Gamol. Princ. Imp. C. 5. §. 2. unde non in-  
elegantes saltem ratione materiæ sunt versi-  
culi quos habet HARPRECHT. ad princ. I. de  
Nupt. n. 28.

Gleich wie man nicht wol pflügen kan  
Wenn man ungleich Pferd spannet an,  
Also ist auch wann ungleich Paar

A 3

Zu-

Zusammen gefüget wird vorm Altar.

Das eine ist reich (idem si nobilis) das andre  
arm, (ignobilis)

Da geht es das sich GOTT erbarm,  
Solch Heyrath ist fürwahr keine Ehr  
Sondern ein Last und groß Beschwer,  
Wilt du freyen, daß dichs nicht reu,  
So folge meinen Rath, deines Gleichen frey.

Accedit, quod publice interfit, ut dignitas ordinum & familiar. sit salva L. 1. §. 13. ff. de agnosc.  
& alend. lib. adeoque splendor familiæ antiquæ connubio non imminuatur, aut contaminetur.  
MYLER. d. l. §. 2. insuper matrimonia in personas inæqualis dignitatis jure prohibita sunt, ita  
(a) prohibebatur propter inæqualitatem dignitatis matrimonium inter Senatorem & Libertinam, vel aliam humilis & vilis conditionis sceminarum. L. 16. L. 44. L. 58. ff. de Rit. Nupt. ne amplissimi Ordinis dignitas vilis coniugii consortio fordescat, neve abiectarum sceminarum non tam connubia, quam vitia iungantur. GERHARD. de Coniug. §. 399. p. 890. ubi addit, quod superueniens quoque Senatoria dignitas olim ad dissolvenda matrimonia suffecerit. (b) inter liberum & servilis conditionis personam, L. 6. p. ff. de Jur. Dot. Nov. 27. c. 10. adeo ut ex tali matrimonio nati fiant

■ □ ( ■ )

7

fiant servi. L. 3. C. de inc. Nupt. cum lex Natu-  
ræ hæc sit, ut sine iusto matrimonio natus se-  
quatur matrem. L. 24. ff. de Stat. Hom. quod  
& apud Hebræos ita fuisse observatum ex  
Iosepho de Antiquit. Judaic. L. 4. C. 6. tra-  
dit CARPZ. Jurispr. Confist. L. 2. tit. 9. n. 6. Sed  
his & aliis, quæ adduci poterant, non ob-  
stantibus, existimamus, matrimonium nobilis  
dixerit uxorem ignobilem, sive contra, vir-  
go ignobilis nupserit nobili; in adducendis  
rationibus huius rei non erimus prolixii, cum  
(1) satis apertum sit, nullam hic adesse prohi-  
bitionem, sive Divinum, sive Gentium, aut  
civile jus inspexeris, non negamus quarundam  
Gentium moribus, talia conjugia fuisse prohi-  
bita, uti de veteris Saxoniae & Daniæ moribus  
testatur CYPRAEV S de Conjug. c. 13. §. 36. n. 7.  
& infin. Sed inde nondum jus oritur Gentium,  
quod hæc vel Illa gens tales nuptias prohibue-  
rit, imo non tantum in Saxonia, sed generali  
consuetudine inter personas disparis condi-  
tionis valere matrimonium docet CARPZ. l. 2.  
Def. 10. n. 9. accedit (2) quod matrimonium  
Principis cum Virgine Nobili, aut plane igno-  
bili valeat, uti late probat MYLER. ab Ehren-  
bach Gamolog. Princ. Imper. c. 8. §. 7. & 48. quidni  
ergo

ergo valeret matrimonium nobilis cum ignobilis, nec obstant supra in contrarium adductæ rationes, ubi primo consentimus disvadendum esse matrimonium tale, & melius facere eum, qui paris conditionis dicit uxorem, si tamen disvaderi nequeat, idem permittendum, & huc collimat prima in contrarium adducta ratio, ubi quod de discordiis ex tali matrimonio metuendis additum, non est universale, & si ob solas discordias, quæ metuuntur, matrimonium simpliciter prohibendum esset, sequeretur, omne matrimonium esse prohibendum, quia nihil frequentius, quam discordias inter conjuges oriri, sicut & quod de malis, quæ ab agnato aliquando inferuntur, dictum est, nullius momenti est, quod vero ex iure civili adductum, id hodie notorie correctum, ita quod de matrimonio inter Senatorem & libertam prohibito dictum, corrigitur per Nov. 78. C. 3. Nov. 117. c. 4. vid. HOPP. in usu Hodier. ad §. II. I. de Nupt. & matrimonium servorum approbatum t.t. X. de matr. serv.

§. III. Sed cum in §. præc. dictum sit, matrimonium nobilis cum ignobili imminentre splendorem familiæ, hinc quæri poterat, annon huic malo si quod subest, quod tamen

men non credimus, quia virgo ignobilis nobili  
nupta & ipsa fit nobilis, succurri possit, si  
cum ignobili inierit matrimonium ad mor-  
ganaticam? Ubi necessario præmittendum,  
quid sit matrimonium ad morganaticam?  
respondemus, quando hac conditione cum  
fœmina quadam nuptiæ contrahuntur, ut  
uxor pariter ac liberi inde nati accepta certa  
bonorum portione a reliqua hereditate, imo  
& dignitate paterna excludantur vid. STRYK.  
*in Examine Jur. Feud. c. 7. qu. 3.* & cum per tale  
matrimonium illustres conserventur familiæ.  
STRYK. d. c. 7. qu. 6. hinc quæstio proposita  
affirmando videtur. Sed hic quæstio præju-  
dicialis erit præmittenda, scilicet, quibus tale  
matrimonium inire liceat, quod liceat, dubio  
caret, quamvis a peccati labe id non absolvat  
STRYK. d. c. 7. q. 6. quia dissidentiam erga  
DEVM involvat, quod de eo casu intelligen-  
dum putamus, quando initur ob multitudi-  
nem liberorum prioris Matrimonii, quibus  
tali matrimonio prospicere vult pater, qui  
donum continentiae non habet & metuit fore,  
ut si alii ex secundo Matrimonio fuerint nati,  
priorum portio nimis imminuatur, & splen-  
dor familiæ pereat, MYLER. ab Ehrenbach.  
c. 6. §. 14. Sed si non ex tali dissidentia erga

B

Deum,

Deum, sed ut in praesenti casu ad putativum dedecus familiae avertendum fiat, peccato omnino carebit, in eo tantum cardo quæstionis versatur, quibus tale matrimonium permisum sit & in specie an Nobilibus? quod regulariter negandum, licet enim pactum morganaticum in iure communi fundamentum habeat. 2. F. 29. adeoque Nobilibus quoque competere videatur, quia tamen hoc pactum a Iure communi exorbitat, & matrimonium ad Morganaticam usu Germaniae tantum inter Principes & personas illustres receptum, inde nobilibus non conceditur, uti eleganti Responso probat. STRYK. de Diffens. Sponsal. sect. 3. §. 73. Si tamen consensu Domini territorii tale matrimonium a Nobilibus ineatur, valere illud tradit STRYK. d. sect. 5. §. 72.

§. IV. Sed quod dictum haec tenus est valere matrimonium nobilis cum ignobili, hoc procedit si quis sciat ignobilem esse, cum qua contrahit matrimonium, sed quid erraverit? cardo quæstionis in eo vertitur, an hic error versetur circa substantialia, an circa accidentalia, si illud, vitiatur matrimonium, secus in posteriore casu. HOPPE. ad Tit. J. de Nuptiis. STRYK. de Diffens. Sponsal. sect. 5. §. 57. nec obstat exemplum Jacobi, qui quamvis in perso-

persona erraverit, eam tamen retinuit, nam  
hoc ex pietate factum. GROT. de iur. Belli &  
Pac. L. 2. c. 5. §. 14. & quam repudiare potuit  
per justitiam, retinuit per misericordiam.  
OSIAND. ad Grot. d. 1. Sed quamvis ergo re-  
gulariter vitiet error in Persona, non tamen  
vitiat error fortunæ. C. un. 29. qv. 1. qualis iam  
error sit, qui committitur circa conditionem  
non immerito dubitaveris, sane circa sub-  
stantialia hic error exinde versari videtur,  
quod si quis ignorans ancillam duxerit, error  
vitiet. LAVTERB. ad tit. ff. de Rit. Nupt. in fine  
& ex d. can. un. C. 29. qv. 1. error conditionis  
locum faciat repudio, ratio forte hæc est,  
quod quoties erratum circa id, quod abesse si  
scivissent contrahentes, non contraxissent,  
toties error vitiet. PVFF. de Offic. Hom. & Civ.  
c. 9. §. 12. nec obstat, quod error conditionis  
non sit circa substantialia, nam licet hoc in  
genere facile concedamus, est tamen circa  
substantialia matrimonii cum Nobili contra-  
cti, perinde ut de virginitate dicitur, erro-  
rem circa illam commissum vitiare matrimo-  
nium, non quod virginitas sit de essentia ma-  
trimonii in se, & in genere, sed quod sit de  
essentia matrimonii cum virgine contracti.  
CARPZ. L. 2. def. 189. GERHARD. de Coniug.

B 2

§. 3.

§.3. Sed verius nobis videtur, talem errorem non vitiare matrimonium, imo ne sponsalia quidem, imputare enim sibi debet sponsus, quod non melius in conditionem sponsæ inquisiverit, nec obstat, quod supra de ancilla dictum est, nam quando quis ancillam in uxorem ignoranter dicit, ibi deficiunt omnes effectus matrimonii. LAVT. ad tit. ff. de Rit. nupt. in fin. cum ancilla enim non erat matrimonium, sed contubernium, quod secus in ignobili, quod si communi errore pro nobili habita fuerit, adeoque adhibita quamvis omni diligenti inquisitione de vera ejus conditione nihil constare potuerit, sponsalia rescinduntur, si ejus conditionis sit ut non nisi nobilem ducturus fuisset, uti vult STRYK. de Dif sens. Sponsal. c. 2. §. 35. unicum adhuc notandum, non sufficere, si nobilis dicat, se ignorasse qualitatem sponsæ sed errorem probare debet. Sed quomodo probabit ignorantiam? vulgata regula est, quod quæ in animo consistunt, quo etiam ignorantia refertur, jumento probari debeant. CARPZ. P. I. C. 22. Def. 6.

§. V. Sed quando in §. præc. dictum est, errorem circa statum nobilitatis regulariter non vitiare matrimonium, supponimus, sponsum sine dolo sponsæ errasse, quid ergo si illa in

□ ) o ( □

13

in dolo, ut si se nobilem mentita sit, adeoque sponsum errare fecerit? distinguendum putamus, utrum negotium in terminis sponsaliorum adhuc subsistat, an vero matrimonium jam consummatum sit? certum quippe est, facilius solvi sponsalia, quam matrimonium, hinc si de dissolvendis sponsalibus agatur, extra dubietatis aleam possum esse remur, ea hanc ob causam posse dissolvi, si sponsa suæ conditionis gnara, pro nobili se venditaverit, sic enim dolo, qui consensum excludit, L. 116. §. f. ff. de Reg. Jur. deceptus intelligitur sponsus. vid. Disp. Dn. PRAESIDIS de relata veritate c. 2. n. 48. & seq.

§. VI. Sed de matrimonio jam consummato gravior est controversia, an rescindi ideo possit, quia nobilem se mentita quæ talis non erat? quod omnino negandum videtur, non enim ob alias causas, quam adulterium & malitiosam desertionem matrimonium solvit, & si ob celatam quamcunque qualitatem matrimonium rescindi possit, etiam ob astatem, aut quantitatem bonorum rescindetur, & sic raro nuptiæ forent individua vitae consuetudo: verum re penitus inspecta affirmari potest quæstio, si supponatur, maritum ad consummandum matrimonium dolo

sponsæ quæ se nobilem mentiebatur, fuisse in-  
ductum, ubi absque dubio etiam consumma-  
tum matrimonium rescinditur, imo potius  
nullum declaratur. CARPZOV. L. 2. Def. 204.  
n. 16. STRYK. de Diffens. sponsal. S. 5. §. 16. Ubi  
eleganti hoc demonstratur Responso, ex quo  
sequentia verba huc transcribere non pigra-  
bimur. Und kan diesem Betrieger nicht helfen,  
dass er nur in äusserlichen Dingen seinen Betrug ver-  
übet, sonst aber contra substantiam matrimonii  
hieselbst nichts von ihm begangen worden, nam NB.  
& ille dolus hic attendendus, cum se nobilem  
jaetat plebejus, aureos montes prætendit pau-  
per, patritiis ortum se fingit, infimæ sortis ho-  
mo, ut fallat NB. nolentem, nisi nobili patri-  
tio se jungere, quique calliditate sua adimit  
puellæ potestatem in ejus conditionem inqui-  
rendi, quales pessimæ artes insuper ex judicis  
arbitrio pœna extraordinaria coercentur.

§. VII. Sed quod dictum est valere ma-  
trimonium inter nobilem & ignobilem, id  
equidem procedit in nobili parentibus orba-  
to, sed quid si pater vel mater dissentiat? ubi  
paucis ex jure repetimus, non valere matri-  
monium sine consensu patris, pr. I. de Nupt. ho-  
die etiam matris, utpote cui eadem debetur  
reverentia, ad quam hodie in hoc casu respi-  
citur,

citur. HOPP. ad pr. I. de Nupt. CARPZ. in jurispr.  
Conf. p. 2. Def. 45. si modo parentis justam ha-  
beant dissentendi causam, alias judex libe-  
ris dat potestatem sine consensu parentum  
nuptias contrahendi. L. 19. ff. de Rit. Nupt. an  
autem justam & probabilem dissensus causam  
præbeat disparitas conditionis non immerito  
dubitari poterat. Negatiya verior videtur, si  
filius nulla ratione adduci possit, ut a matrimo-  
nio quod intendit, desistat, nam sicut alias, ita  
& hic, monendus est filius, ne invito patre  
nuptias contrahat, quod si pater in dissentien-  
do perseveret, superior consensum supplere  
potest, nisi nimis magna adsit disparitas, ut si  
Nobilis infimæ conditionis personam ducere  
velit, quo casu justa inde oritur dissentendi  
causa, BRVNREM. in Jur. Eccles. L. 2. c. 16. §. 5. fa-  
cit hoc supra allegatum Responsum Ampliss.  
Fac. Jurid. Rostoch. ubi inter cœtera hæc le-  
guntur verba: *Damnoch probabiles dissentendi ra-*  
*tiones vor zulänglich achten, worunter sic magnam*  
*Conditionis disparitatem referiren.*

§. VIII. Diximus in §. præced. posse fi-  
lium nobilem ignobili se jungere etiam sine  
consensu patris, ubi dubium oritur, an hoc  
casu pater filium exhæredare possit? vulgata  
nec minus intricata est hæc quæstio, an matri-  
moni-

monium sine consensu patris contractum iustum præbeat exheredandi causam? pro affirmativa militat L. 3. §. Si emancipatus s. ff. de Bonor. possess. cont. tabul. ibi: nam et si tam ignominiosam duxerit uxorem, filius, ut dedecori sit tam ipsi, quam patri mulierem talem habere, dicemus, & ex ea natum ad bonorum possessionem avi admitti, cum possit avus iure suo uti, eumque exheredare, sed ut taceamus exheredationem hodie non fieri nisi ex causis in Nov. 115. recensitis, inter quas hæc non reperitur, ex ipsis verbis, d. L. patet, eam loqui de casu, ubi filius talem uxorem dicit quæ dedecori sit ipsi & patri, sed hoc de ignobili, nobili nupta dici non potest, per ea quæ supra dicta, sed quid si filius plane ignominiosam uxorem duxerit? quia grave decus infert parenti, exheredari eum posse putamus, id quod intelligimus de bonis dispositioni paternæ subiectis, hinc exhereditatio quoad bona feudalia non valebit, nam de his non valet dispositio paterna. STRVV. in Syntagm. Jur. Feud. c. 9. th. 12. n. 8. VULTEJ. de Feud. c. 9. n. 69. nisi feudum mere hereditarium utpote de quo libera disponendi facultas, perinde ut de allodio competit, aut consensus Domini feudi requisitus fuerit, ROSENTHAL. de Feud. c. 6. concl. 10. n. 10. & seqq. STRYK. in Exam. Jur.

Jur. Feud. c. 14. qu. 7. Sed jam claudam rivos,  
dum iter indeque ortæ temporis angustiae  
plura addere non permittunt, hinc progre-  
dior ad

## C A P V T II.

DE EFFECTV MATRIMONII NOBILIS  
CVM IGNOBILI.

## §. I.

Qvod effectum hujus matrimonii attinet,  
Alius est quoad coniugem, alias quoad  
liberos. Quoad coniugem distinguendum, an  
nobilis ignobilem ducat, an nobilis ignobili  
nubat, nam etiam posterius licere, capite præ-  
cedente passim tetigimus, ut quando §. di-  
ctum est, valere etiam matrimonium Prin-  
cipis cum ignobili, priore casu, dubium non  
est, uxorem quamvis ignobilem ex hoc fieri  
nobilem, uxor enim cum marito pro una car-  
ne habetur, Genes. 2. sub radiis mariti resplen-  
det. L. Faminæ 8. ff. de Senat. L. 13. C. de Dignit.  
quæ communicatio non minima pars est di-  
gnitatis mariti, propter individuam vitæ so-  
cietatem, quæ inter conjuges intercedit.  
HERM. VULTEJ. 3. Conf. 34. n. 168. Conf. BAR-  
BOSA Lib. 19. c. 52. Axiom. 3.

§. II. An ergo titulum Generositatis,  
daß sie genannt werde, Wohlgebohrne Frau, conse-  
qui-

C

quitur! quod affirmare non dubitamus, propter all. L. 8. ff. de Senat. ubi ULPIANVS respondet, *maritus fœminæ Clarissimam dignitatem tribuit, & eleganter responderunt Imp. in L.* Cum te, 10. C. de Nupt. cum te a non Senatore procreata, sed ob matrimonium cum Senatore contractum Clarissima nomen adeptam dicas, claritas hæc beneficio mariti tibi competit, ut adeo ignobilis nobili nupta jure nobilium gaudeat. A quo vero tempore incipit esse nobilis? & cum consensus faciat nuptias, non concubitus, L. 30. ff. de Reg. iur. statim a tempore sponsaliorum, nobilis facta intelligitur, etiam si benedictio Sacerdotalis nondum accesserit, quod tamen moribus secus esse vult STRYK. in Uſ. Modern. ff. Tit. de Senat. §. ult. in Saxonia ulterius requiritur consensio Thalami, *dass sie das Ehe-Bette beschritten,*

§. III. Sed quid si vidua facta fuerit, an & tunc nobilitatis jura retinet ignobilis nobili nupta? quod affirmandum videtur, nam vidua forum & jura mariti retinet, quamdiu ad secunda vota non transiit, & ignobili se iunxit, L. 21. §. 1. ad Municip. L. f. C. de incol.

§. IV. Ex hoc autem deciso multa suboriuntur dubia, notum quippe est, quod quamvis fœmina in feudo non succedat, 2. F. 36. quia

quia ad servitia militaria, quorum intuitu feudum principaliter conceditur, præstanta idonea non sit, ei tamen debeatur dotalitium, non quidem jure feudali, bene tamen moribus, est autem dotalitium ususfructus uxori in compensationem dotis constitutus, ubi tamen requiritur, ut uxor petens dotalitium probet illationem dotis, eiusque in feudum versionem, STRYK. de Success. ab intest. Diff. 4. c. 2. §. 10. an vero illis in locis, ubi dotalitium nobili tantum debetur viduæ, ignobilis nobili nupta dotalitium petere possit, res est, quæ dubio non caret? exemplum huius rei est in Saxonia, ubi const. 37. haec leguntur verba: *Da irgend aus Gewohnheit, oder aber aus des Mannes Testament eine Frau NB. die Ritters-Art, etwas vom Erbe nimmt, so kan die Morgen-gabe, und Leibgedinge nicht haben, unde ex con-trario infertur, daß diejenige so vom Erbe nichts nimmt, das Leibgeding fôdern könne, dummodo sit nobilis, von Ritters-Art, ignobilis ergo, ut ut nobili nupta, eadem petere posset, quæ alias genere & sanguine nobilis, quia, ut antea dictum, per matrimonium cum nobili contractum nobilitatur, vid. CARPZ. p. 3. C. 37. Def. 1. ideoque omnibus privilegiis & juribus quæ aliis viduis nobilium in feudo*

competunt, etiam hæc gaudet, & omnia alia  
privilegia quæ vivente marito habebat, reti-  
net integra, ut titulum, sicut enim vidua Re-  
gis vocatur Regina, perinde ut vocabatur vi-  
vente Rege, ita quoque quæ ex stemmate or-  
ta est ignobili, si nobili nupta, retinet titulum  
Generositatis, ut dicatur *Wohlgebohrne*, cense-  
tur enim esse ac stare in eo ipso matrimonio.  
*TIRAQVEL.* de Nibilit. c. 18. n. 9. cui tamen in  
eo non consentimus, quando in sequentibus  
addit, quod Vasallus qui cum Vidua Domini  
concubuit, perinde feudo privetur, ac si cum  
uxore Domini adhuc viventis concubuisse  
contrarium verius putamus, ob textum  
*I. F. 21.* ibi: *Domino vivente. STRUV. in Syntagm.*  
*Jur. Feud. c. 15. th. 9. n. 9.* ubi hoc limitat nisi  
intra annum luctus id fecerit. conf. *STRYK.*  
*in Exam. Jur. Feud. c. 23. qu. 17.*

§. VI. Sed quando diximus viduam  
nobilem, tamdiu tantum quamdiu in statu vi-  
duitatis subsistit, privilegia viduarum nobil-  
ium retinere, sequitur, quod si alii viro igno-  
bili nubat, eadem amittat. *L. 13. C. de Dignitat.*  
ubi eleganter dicitur: *mulieres honore maritorum*  
*erigimus, genere nobilitamus &c.* Si autem minor-  
ris ordinis virum postea sortitæ fuerint, priore digni-  
tate privatæ posterioris Mariti sequentur conditio-  
nem:

nem: quæritur quid si secundus maritus moriatur, an priora privilegia recipit? quod negamus, sed sibi & liberis præjudicavit. *L. 13. C. de Murilegul.* unde illa vectigalibus & oneribus, quæ solis ignobilibus imponuntur, est obnoxia. *TIRAQVEL. de Nobilit. c. 18. q. 38.* quamvis in Hispania aliter observari testetur *PERETZ. ad Cod. tit. de Dignit. n. 57.* sicut quoque jure communi viduam prioris mariti immunitatem a Principe impetrare posse patet ex *L. ult. ff. de Senator.*

§. VI. Dicta de vidua extendimus, ut per nuptias secundas cum ignobili contractas amittat privilegia nobilium, etiamsi ignobili ignoranter nupserit: sed quid si dolo ad contrahendum cum tali matrimonium inducta fuerit? resp. Sic obtinebunt quæ superius de nobili, a Virgine ignobili decepto dicta sunt, quod sc. si ob dolum dissolutionem matrimonii impetraverit, ex æquitate priora privilegia ei debeant restitui, si vero de conditione secundi mariti dubitatur, in dubio privilegia nobilium amisisse intelligitur, si tamen lis marito de conditione mota, ea pendente pro nobili reputabitur, *FAB. in Cod. ad Tit. de Dignit. def. 17.*

§. VII. Notum est quod jure Civili Nobiles  
C 3

biles torqueri non possint. *L. 8. §. 1. C. de Quæst.* ibi: *si personarum conditio patiatur.* CARPZ. *qu. 118. n. 76.* LAUTERB. ad *Tit. ff. de Qu.* ibi-que alleg. TIRAQVEL. de Nobilitat. c. 19. 20. 21. quod hodiendum observatur, ut inconsulto Principe Nobilis regulariter torturæ subjici non debeat, cuius rei fundamentum desumunt ex *L. Nullus C. ad Leg. Jul. Maiest.* ubi hæc leguntur verba: *Nullus omnino cui inconsul- tis ac nescientibus nobis fidicularum tormenta infé- runtur, militiae, vel generis, aut dignitatis defen- sione uti prohibeatur,* idem de ignobili, quæ nobili nupta dicendum putamus, ut nec ipsa inconsulto superiore, torqueri possit.

§. VIII. Sed videamus de effectu hujus matrimonii quoad liberos, ubi quidem certissimum, ex tali matrimonio natos esse legitimos, cum verum hic subsit matrimonium, sed an nobiles erunt? quod affirmamus, liberi enim legitime nati quoad dignitatem Patris, non Matris, sequuntur conditionem, *L. 19. ff. de stat. Hom.* cum, per supra dicta, hæc dignitatem a marito consequatur. Conf. MYLER. ab Ehrenbach de Gamol. Princ. Imp. C. 5. §. 19. & sq. ubi hanc addit rationem, quod pater sit prin- cipium activum, qui dat formam conceptui, cuius nobilior est materia, quam Matris, & ita gene-

generalis consuetudine observari docet TIRAM  
QVEL. de Nobil. c. 18. n. 33.

§. IX. Ex iam dictis porro necessario fluit, quod tales liberi (1.) insignia patris recte sibi tribuant (2.) in feudis & aliis bonis succedant, nam cum juxta communem DDrum opinionem etiam extra Matrimonium & in ex illegitimo concubitu nati, sed postea per subsequens Matrimonium legitimati succedant, LAVTERB. ad Tit. ff. de his qui sui vel alieni jur. CARPZ. p. 2. C. 28. def. 17. STRUV. in Syntagm. Jur. Feud. c. 9. qu. 38. multo magis succendent, qui ex legitimo matrimonio matre licet ignobili nati sunt, quod adeo verum est, ut ex patre nobili & matre ignibili nati non aliter excludantur a successione feudalii, nisi speciali Pacto ita cautum. 2. F. 29. PEREZ. ad Cod. tit. de Dignit. n. 46.

§. X. Sed quid si statuto expresse excluantur a successione? tale statutum tanquam iniquum fore, nullum, cum enim liberis successionis in bonis parentum naturali jure debatur, sequitur, tale statutum utpote jure naturali adversum & ita iniquum, fore nullum, cum nec statutum valeat, quod per subsequens matrimonium legitimatos excludit, CARPZ. L. 2. Def. 236. n. 16. unde communiter infe-

inferunt DDres, legitimam liberorum statuto quidem minui, sed non tolli posse. GAIL. L. 2. obs. 122. MYNSING. c. 5. obs. 43. CARPZ. P. 3. C. 13. Def. 1. & 3. quamvis non desint quæ hic objici possent, quæ omittere cogimur. Unicum hic addimus, in quibusdam casibus requiri, ut liberi sint ex utroque parente nobiles, ut in Torneamentis, nec ad Collegia Canonica superiora admittuntur, nisi qui ex materna quoque linea nobilitatem deducere possunt. HAHN. in *Dissert. de jure nob. sing. th. 13.*

§. XI. Sic ergo probavimus liberos ex Patre nobili & Matre ignobili natos per omnia gaudere jure liberorum legitimorum, ut non tantum Patris dignitatem consequantur, sed etiam eidem mortuo succedant. Sed quid de penis dicendum, an in his quoque jure nobilium gaudent? quod communiter affirmant DDres, nobis id dubium hie subortum, an nobiles in penis privilegio quodam gaudeant? ubi quidem ob dignitatem penas mitigare non videtur dubitandum, faciunt hoc varii textus iuris Civilis, ita in L. 4. §. 1. ff. de *Incend. ruin. nauf. rat. nav. expugn.* expresse dicitur penas ex qualitate personarum esse determinandas, Decurioni ob dignitatem in penis parcitur L. 9. §. 11. ff. de *pænis*, sed negativam acriter defendit

fendit CARPZ. qu. 148 n. 32. sgg. & in altius patibulum suspendendos esse fures nobiles scribit PHILIPP. in Us. Pract. Inst. Eccl. 1. cui negativæ sicut subscribimus in penis juris divini Moralis, ita penas arbitrarias ob nobilitatem mitigari posse concedimus: quibus ita præmissis ad quæstionem principalem respondemus affirmando, ex ratione, quæ iamiam fuit allegata. Sed quid si pater nobilitatem amiserit? Si filius antea natus, retinet nobilitatis jura: ne ex alieno delicto puniatur, excepto crimine perduellionis, ubi liberi quoque infames fiunt, L. i. §. 1. C. ad Leg. Jul. Majest. sed quid si filius postea natus? Distinguendum an antea amissam patris nobilitatem iam conceptus fuerit, an non, si prius, erit nobilis, secus si postea conceptus fuerit. L. 9. §. 13. ff. de Pan. L. 7. §. 1. de Senator. BRVN-  
NEM. ad Tit. C. de Dignit. n. 17.

§. XII. Videamus nunc de illegitimis, an hi quoque patris consequantur dignitatem & nobiles fiant? quod affirmandum videbatur, quia ex sanguine nobili nati, sed quia non a nobili fonte decidunt, sed a sanguine putrido, ut loquitur TIRAQVELL. de Nobilit. c. 15. n. 10. hinc contrarium verius existimamus, ut nec insignia patris sibi tribuere, nec

D

nomi-

nomine ejus uti possint, cum plane non sint de domo Patris, in quibusdam tamen locis spurios pro nobilibus haberi & familiae insignia gerere per interlineam divisa tradit. FAE. in C. tit. de Dignit. Def. 20. sicut in Francia & Britannia ita observari vult TIRAQVELL. de Nob. c. 15. n. 25. nisi tamen legitimantur, imprimis per subsequens matrimonium, hi enim per omnia gaudent jure liberorum legitime natorum, cum matrimonium subsequens fictione juris retrorahatur. HOPP. ad S. ult. I. de Nupt. & hinc quoque ad successionem feudi admittuntur CARPZ. P. 3. C. 28. Def. 17. FINCKELTH. Disp. Feud. 6. qu. 13. Biup. bel. Augst.

§. XIII. Sed pergitus nunc ad casum, quando nobilis ignobili nubit, de effectu hujus matrimonii nunc visuri, ubi primo loco queritur, an ex tali matrimonio maritus fiat nobilis? quod negatur, uxor enim radiis mariti coruscat, per supra dicta, non contra, cum maritus sit principale & caput mulieris. MYLER. ab Ebrenbach de Gamol. Princ. Imp. c. 5. §. 30. ubi limitatio in §. seq. addita, sc. nisi pacta dotalia aliud statuant, satis videri poterat dubia, quia nobilitas pactis privatorum conferri non potest, sed ipse mox se explicat, hoc accidere inter personas summam nobilitatem

tatem habentes, ut hæc limitatio ita procedat, si Ducissa inferioris conditionis homini nubat, hic quidem vocetur Dux, in honorem Ducissæ, revera autem talis non sit.

§. XIV. Sed quia superius dictum est, quod maritus ex persona & dignitate uxoris non fiat nobilis, hinc altera hic suboritur quæstio, an nobilis ignobili nupta, amittat nobilitatem? quod affirmandum videbatur, facit hoc textus in L. 1. C. de Dignitat. ibi: *si non privatae conditionis hominibus, sed clarissimis nupseritis, Claritatem generis retinetis.* add. L. 8. ff. de Senat. accedit, quod Uxor sequatur dignitatem mariti, unde sicut ignobilis nobili nupta ex persona mariti sit nobilis, ita quoque nobilis ignobili juncta sit ignobilis, & hanc opinionem defendunt, CARPZ. p. 3. C. 37. Def. 2. n. 4. FABER. in Cod. de dignit. Def. 17. TIRAVELL. de Nobilit. c. 18. n. 5. & seqq; nec obstat, quod nobilitas ex jure naturali saltem haecenus sit, quatenus ex jure sanguinis dependet, adeoque jure civili tolli nequeat, nam quamvis nobilitas non tollatur, quatenus ex jure sanguinis oritur, tollitur tamen jus quod propter nobilitatem competit. Sed ut ut hæc jure Civili dubio careant, de moribus tamen nobis superest dubium? sed respondemus ea

D 2

quæ

quæ dicta sunt, de amissa nobilitate per matrimonium cum ignobili, intelligenda esse de nobilitate participata, ut quando uxor ex persona mariti nobilitatur, hæc secundis cum ignobili contractis nuptiis amittitur, per ea quæ supra sunt deducta, quod vero attinet nobilitatem sanguinis seu connatam, hæc nuptiis cum ignobili non extinguitur. L. 10. C. de Nupt. quod latissime & variis exemplis probat MYLER. ab Ehrenbach de Gamol. Princ. Imper. c. 5. §. 48. Distinctionem vero nostram probat FABER. in Cod. ad Tit. de Dignit. Def. 17. STRYK. in us. modern. ff. ad Tit. de senat. §. 9. MYLER. ab Ehrenbach. d. c. 5. §. 46. nec dubitare nos finit praxis, de qua STRYK. d. l.

§. XV. Haec tamen dicta limitantur, nisi plane indigno nups'erit, nemo enim de hoc sibi blandiri debet, quo se ipsum indignum judicavit. L. 12. in fin. C. de Dignitat. de quo uti dubitandum non est, ita queritur, quis sit indignus, & in specie an omnis ex Civico ordine natus tali nomine sit insigniendus? quod negamus, quia non omnes sunt de fece plebis, STRYK. d. l. §. 11. ubi in fine ex MENOCH. L. 4. Praef. 189. n. 86. tradit, Comitissam vel Baronissam si Doctori nubat, non nubere indigno, quod vel inde constat, quia Docto-

Doctores vere sunt nobiles, & per omnia nobilibus æquiparantur, vid. Ord. Camer. p. 1.  
Tit. 43. Reforin. Polit. de anno 1548. & 1506. Tit.  
von Überflüssigkeit der Kleider.

§. XVI. Quia vero nobilis ignobilis  
nupta nobilitatem sanguinis retinet, per haec-  
nus deducta, queritur an etiam Generosita-  
tis titulum retineat? si minora Majoribus  
conferre licet, affirmandum id exinde vide-  
tur, quod Regum filiae licet aliis quam Regi-  
bus nuptæ, adhuc dicantur *Ihre Königl. Hobeit*,  
quamvis hoc D. STRYK. in Uf. Mod. ff. d. l. §. 10.  
ad eas restringat, quæ in Regno hereditario  
sperant successionem, quam cum in feudis re-  
gulariter non sperent filiae nobiles, hinc De-  
cisionem hujus quæstionis aliis relinquimus,  
sicut & eam, quæ de insignibus moveri pote-  
rat, unicum tantum addimus, quod in Saxo-  
nia viduæ ejusmodi nobili quæ ignobili nupta,  
non concedantur ea privilegia, quæ aliis No-  
bilium viduis, sic non capit comedibilis, &  
id genus alia, CARPZ. p. 3. C. 37. Def. 2. n. 4.  
ea sane quæstio nobis plane videtur superflua,  
quando queritur, an valeat donatio ab igno-  
bili viro nobili uxori facta? quod communiter  
affirmatur, ut enim donationes inter virum  
& uxorem regulariter prohibitæ sint. t. t. ff. de  
donat.

*donat. int. vir. & uxor.* quia ramen hoc tantum  
eo casu procedit, quando donans sit pauperior,  
& donatarius locupletior. *L. 5. §. 8. L. 16. L. 25.*  
*ff. de Donat. inter vir & uxor. CARPZ. P. 2. C. 13.*  
*Def. 18.* indeque donatio remuneratoria valet,  
*L. fin. C. de Donat. ante nupt.* hinc donationem a  
viro ignobili uxori quondam nobili in remu-  
nerationem amissae nobilitatis factam valere  
volunt, sed ut diximus, haec quæstio nobis su-  
perflua videtur, quia nobilitas sanguinis per  
matrimonium non amittitur, nisi hanc quæ-  
stionem de eo casu intelligere velis, quo igno-  
bilis uxor ex persona mariti nobilitatur.

*§. XVII.* Sed haec sufficiente festinante  
calamo scripsisse de effectu hujus matrimonii  
quoad uxorem, nunc de liberis videamus, &  
in specie an liberi inde nati, fiant nobiles?  
quod negamus, ex justo enim matrimonio  
natus sequitur Patrem, tam quoad statum,  
quam quoad dignitatem, utpote quæ per Ma-  
trem non propagatur *H. O. P. ad Pr. 1. de Ingen.*  
*verb. ingenuus nihilominus,* unde Galli, le ventre  
ennoble point, nec obstat, quod superius di-  
ctum, eam quæ ignobili nubit, retinere nobi-  
litatem sanguinis, haec enim personalis est, nec  
in liberos transmittitur, sed mortua matre ex-  
tinguitur. *M. L. ab Ehrenbach de Gamol. Princ.*  
*Imp. c. 5. §. 33.*

*§. XVIII.*

§. XVIII. Superius dicta ampliantur, ut nec statuto vel consuetudine introduci possit, ut filii matris consequantur nobilitatem, quam in rem allegant L. 36. C. de Decur. sed contrarium verius putamus, nec enim irrationabilis talis consuetudo dici potest, quæ nihil continet, quod vel naturali, & divino juri, vel bonis moribus contrarium sit, nec obstat d. L. 36. C. de Decur. loquitur enim de casu speciali, si quis ob originem matris leviora velit onera amplecti, & respucere majora, quibus ob originem paternam obstrictus erat: BRVNNE M. ad Tit. C. de Decur. n. 61. multo magis vero speciali Privilegio id concedi potest, ut matris originem sequantur liberi, sicut ilienibus & aliis id factum docet l. i. s. 7. ff. ad Municip. alia exempla addicunt MYLER. ab Ehrenbach d. c. 5. §. 35. §. 36.

§. XIX. Sic ergo vidimus quod si nobilis ignobilis nubat liberi non siant nobiles, sed quid si pater nobilitatem impertravit? resp. sic liberi quoque siant nobiles, etiam qui ante imperatrati nobilitatem nati, sed hoc ultimum dubio non caret, quamvis enim pro nostra opinione militet L. 5. ff. de Senat. obstat tamen non parum videtur L. 11. C. de Dignit. ubi variorum varia est conciliatio, nobis ea placet quam affert BRVNNE M. ad d. L. 11. C. de Dignit. sc. posteriorem h. l. partem corrigere priorem.

§. XX. Sic ergo habes B. L. quæ de materia hac satis ardua Tecum communicare volui, si quæ minus recte scripta invenies, invenies autem plurima, imbecillitati ingenii & nimia festinationi condonabis. Deo vero

T. O. M. grates pro præstito auxilio ago immortales.

Ei sit Laus & Gloria in Secula Seculorum.

F I N I S.

AD

AD

## GENEROSVM DN. RESPONDENTEM.

**E**lapsum nondum est biennium, cum Te primum  
nactus sum Auditorem: Raro hodie exemplo  
eum Te exhibuisti, in Collegiis Lectoriis, Examinato-  
riis & Disputatoriis, ut diligentiam Tuam satis de-  
prædicare nequeam; nunc dum abitum paras, pu-  
blicum eruditionis specimen hic exhibes, conscriben-  
do Disputationem de Matrimonio. Nobilis cum igno-  
bili, & utut certus sim, quod talem Te exhibiturus  
sis, qualem Te spero, id tamen doleo, quod temporis  
angustiæ, dum opinione citius abitum paras, non per-  
miserint hujus materiæ exactiorem & prolixiorem  
explicationem, multa enim adhuc deesse cuilibet ex-  
perfectione patebit: Sed & voluisse sat est: Ego in-  
terim GENEROSISSIMO DOMINO PARENTI de-  
tantæ spei filio animitus gratulor, Deumque rogo,  
ut GENEROSVM DOMINVM RESPONDENTEM  
in Sui nominis gloriam, hujus Provinciæ emolumen-  
tum, ac commodum, & in totius Generosissimæ Fa-  
miliæ Decus ac ornamenntum diu servet sospitem,  
diu incolumem:

PRAESES.



Rostock, Diss., 1706-09

X 2373042





58

**CASPARI MATTHAEI MÜLLERI,**  
 SERENISSIMI DVCIS MECKLENBURGICI REG. CONSIL. CANCELLARIAE,  
 PROFESSORIS PVBL. ORDINARII, FACULTATIS IVRIDICAE  
 P. T. PRO - DECANI,

17073 b

DISSERTATIO IVRIDICA  
 DE

# MATRIMONIO NOBILIS CVM IGNOBILI,

Von  
 Heyrathen zwischen Adelichen  
 und Un-Adelichen Personen.

QVAM  
 IN ALMA AD VARNVM ACADEMIA

D. VII. DECEMBR. AN. M DCC VII.

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI

S V B J I C I T

JOCHIM CHRISTOFFER DE MOLTKE,  
 EQVES MEGAPOL.



ROSTOCHII, REC. M DCC XXXXVI.

